



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

85. An licitè baptizentur filij Hæeticorum, si sub cura Parentum probaliter timeatur periculum perversionis eorum? Ex p. 3. tr. 4. res. 7.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76393](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76393)

De Sacram. Baptism. Resol. LXXXIII. & c. 55

2. Sed quicquid sit in illis partibus Germaniæ ubi sæpius obstrictæ sunt forilegæ, tamen in nostris partibus Sylvij doctrina non admittitur. Sed obstrictæ diligenter examinantur, ne error aliquis contigerit, & non comperto, postea in Ecclesia suppleatur solemnitates omittæ; diligentia verò cum supradictis faciendæ est à viris doctis, & interrogandi sunt individualiter de omnibus necessariis ad conficiendum Baptismum, videlicet de verbis formæ, de quantitate aquæ, & de parte corporis, ubi infans fuit baptizatus.

RESOL. LXXXIII.

An baptizati in periculo mortis debeant postea in Ecclesia ceremonias omittas supplere?

Et an. si quis omittet supplere in Ecclesia solemnitates omittas in privato Baptismo, secluso scandalo, non peccet nisi venialiter? Ex part. 5. tr. 3. Resol. 6.

§. 1. **R**espondeo affirmativè, ut constat ex usu Ecclesiæ, & colligitur ex c. 1. de Sacram. non iterandis. Atque hoc etiam de exorcismis intelligendum esse docet Richardus in 4. disp. 6. art. 6. q. 1. Vitalis in candelabro de Bapt. c. ult. n. 18. Victoria de Bapt. n. 38. & habetur in Pastoralis Romano, eo observato, ut cum Minister homini baptizato demonis ejectionem, atque gratiæ cælestis donum precatur, intentionem suam referat ad perfectiorem diaboli, qui nunquam omninò infestare desinit, repullam, uberiorèque gratiæ cælestis communicationem; ut proinde non intelligam, cur dixerit Paulus Comitolus lib. 1. resp. moral. q. 12. sacrilegium fore, & maximam Sacramenti injuriam, si Parochus puero privatim baptizato, postea in Ecclesia exorcismos ad demonem profligandum adhibeat; atque hæc quidem doctrina de supplendis ceremoniis observari debet tempore pestilentie cessantis; cum enim infantes ex matris peste infecti editi, in magno repentina mortis periculo versentur, frequenter accidunt, ut privatim baptizari debeant, neque tunc vacat semper Sacerdotibus omittas ceremonias in templo supplere, ideòque post pestilentiam, si supervivunt, ad Ecclesiam duccendi erunt, & hæc omnia docet Layman lib. 5. tract. 2. cap. 8. n. 9.

2. Notandum est tamen, Possessivum de Officio Curati, cap. 6. n. 23. docere, quòd si quis omittet supplere in Ecclesia solemnitates, omittas in privato Baptismo, secluso contemptu non esse nisi peccatum veniale.

RESOL. LXXXIV.

Qui sub nomine Principum in Rituali Romano Pauli V. & in Clementina unica de Baptismo intelliguntur, ut eorum filij extra Ecclesiam in domo baptizari possint? Ex part. 9. tr. 6. & Misc. 1. Resol. 37. alias 38.

§. 1. **P**uto sub nomine Principis etiam intelligi Duces non recognoscentes Superiores, ut Dux Mutinæ, Dux Parmensis. Sed Pater Quintanaduenas in Theolog. moral. tom. 1. tract. 1. singul. 21. num. 3. ampliat vocabulum Principis: ait enim: [Non ita strictè sumendum esse nomen Principis, nonnulli judicabunt, cum Privilegium Principis late sit interpretandum: sed filij Ducum, seu los hijos de los Duques, y grandes de España, & de

otros grandes Potentados de otros Reynos; seu, ut loquitur Granado tract. 4. dub. 4. Potentatus nobiles, possent uti hoc privilegio: præsertim si adsit dispensatio, vel potius interpretatio; aut epicheia juris communis ab Episcopo facta, cum illud ob eximiam nobilitatem, & domus splendorem Principibus concedatur, ut innuit Glossa hic: & Vocabularia utriusque Juris; Principum nomine quemlibet secularem Dominum, ut 33. quest. 5. & Prælatum Ecclesiæ, ut dist. 33. cap. Ecclesia, comprehendendi doceant. Unde omnes filios, ac nepotes Ducum, Marchionum, Comitum, & de otros Señores de titulo, con dominio superior, y vassallos, vel eorum, qui ratione muneris Principatum, seu præcellentem honorem, aut prærogativam habent, ut Vicereges, Oratores Regum, vel Pontificum, vulgo, los Embaxadores, necnon supremi Præsides Senatus Regij Castellæ, & forsitan aliorum, ut Ordinum, Indiarum, Belli, & Justitiæ, dum hoc honore, ac familiæ splendore fruuntur; ac his similes, sub hoc nomine non improbabiler contineri aliqui fortè existimabunt.] Ita ille.

2. Sed ejus opinio mihi non placet, & oppono Granadum ab ipso citatum in 3. part. contr. 4. tr. 6. n. 2. ubi sub nomine Principum asserit, quòd comprehenduntur Potentatus nobiles, qui Regibus æquiparantur; ut sunt Dux Venetiarum, Dux Florentiæ, Dux Mutinæ, & alij, quos dixi supra; non autem, ut vult Quintanaduenas, licet cum formidine, Magnates Hispaniarum, Oratores Regum, Præsides, Senatus Regij Castellæ, & Ordinum, Indiarum, Belli, & Justitiæ; nam ista personæ non æquiparantur Regibus, ut loquitur Granado, imò subjecti sunt Regibus, ut eorum vassalli. Ergo non possunt includi sub nomine Principum. Et idèd Castrus Palaus tom. 4. tr. 19. disp. unica, punct. 12. num. 16. sic ait: [Grave peccatum committeret, seclusa necessitate, qui extra Ecclesiam in privatis Oratoriis hoc Sacramentum solemniter ministraret. Excipiuntur Regum, & Principum liberi, id est, filij, & nepotes, tam naturales, quam legitimi superiorum Principum, hoc est, illorum, qui alteri subjecti non sunt.] Ita ille, cui etiam addè Franciscum Sylvium var. resol. tom. 1. verb. Baptismus, 4. concl. 1. in fine. Ergo omnes personæ numeratæ à Quintanaduenas non includuntur sub nomine Principum; quia, ut dixi, alteri subjecti sunt. Et pro hac sententia Palaus adduxit Glossam, Sæ, Valquez, Layman, Coninch, & Suarez: verum in gratiam Patris Quintanæ assero, post ipsum eandem sententiam docere doctum Zipæum tom. 2. lib. 3. tit. de Baptismo, respons. 1. num. 2. ubi ait; quòd in nostro casu sub nomine magni Principis, non tantum supremi, & his ferè proximi; sed & tituli eminentes intelligi posse videntur.

RESOL. LXXXV.

An licitè baptizentur filij Hæreticorum, si sub cura parentum probabiliter timeatur periculum perversionis eorum? Ex part. 3. tract. 4. Resol. 7.

§. 1. **N**egativam sententiam docent Fernandez de Heredia disput. de Sacram. Baptismi, part. 7. dub. 3. n. 8. & Coninch. de Sacram. quest. 68. art. 10. dub. unico num. 81. ubi sic asserit: Quando aliqui hæretici, vel apostatæ habitant in iis locis, in quibus liberè exercent suam Religionem extra periculum mortis, eorum filij non sunt baptizandi,

Sup. hoc infra in Resol. 88. §. Unde, & late in tom. 3. tr. 1. Resol. 6. à §. 7.

nisi per separationem, vel aliam rationem possit caveri, ne parentes eos impiis sacris, & doctrinis imbuant, quia aliàs fieret contra dignitatem Sacramenti, quod probabilis magis obesset, quam prodesset. Ita Coninch, & Suarez in 3. tom. 3. disp. 41. sect. 5.

2. Sed ait Layman in Theol. mor. lib. 5. tract. 5. cap. 6. num. 12. contraria praxis apud nos à viris doctis, ac piis sæpe observata fuit, & rectè quidem, quia periculum perversionis non est adeò propinquum, aut certum, cum fieri possit, ut infantes ante usum rationis moriantur, & per Baptismum salventur, tum, quia plerumque spes non parva est, ut hereticorum liberi aliquando in fide Catholica instruantur, quam idcirco libentius recipiunt, si sciant à Catholico Sacerdote se baptizatos fuisse. Addi etiam potest, tametsi à parentibus, & ministris suis hereticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare, & pertinaces hereticos non esse: ut proinde tales dogmata fidei baptismalis retineant, & salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis vera conversione doceant, per ea, quæ dixi lib. 2. tract. 1. cap. 12. num. 3. Hæc omnia Layman, & satis quidem probabiliter.

RESOL. LXXXVI.

An in mortis articulo filij Infidelium sint, invitatis parentibus, baptizandi?

Et an, secluso mortis periculo, non sit licitum, invitatis parentibus, baptizari à dominis suis filios servorum infidelium? Ex part. 5. tr. 3. Ref. 10.

Sup. hoc infra in Ref. 88. §. Excipit & in Ref. 90. §. 2. paulo post initium à ver. Primus est.

§. 1. **A**ffirmativam sententiam, cum formidine tamen, docet Sotus in 4. dist. 5. in fine, art. 10. Sed valde miror. Dico igitur audacter in tali casu filios infidelium esse invitatis parentibus baptizandos. Et ita ex Soto, Aragonio, Acofta, Suarez, Henriquez & D. Antonino docet Jacobus Granado de Sacrament. in 3. part. contr. 4. tract. 4. disp. 5. sect. 4. num. 19. quia cum est in mortis articulo, censetur extra parentum potestatem, quia quod parum distat, nihil distare videtur, nec timeri potest periculum apostasie, & deceptionis, præsertim cum puer tunc sit in extrema necessitate spirituali, in qua non est censendus ita dependens à parentibus, ut propter illorum contradictionem damnandus sit in æternum. Et ita hanc sententiam præter Doctores citatos docet etiam Hurtadus de Sacram. Baptismi, disp. 3. diffie. 3. qui etiam diffie. 5. rectè probat cum Coninch de Sacram. q. 98. num. 10. dub. unic. num. 76. Valentia tom. 4. disp. 4. q. 3. punct. 3. Zambranus de Sacram. Bapt. cap. 1. dub. 11. num. 5. Azorius tom. 1. lib. 8. cap. 25. q. 10. secluso periculo mortis illicitum esse invitatis parentibus baptizari à dominis filios servorum infidelium.

Sup. hoc in Ref. seq. & in aliis ejus primæ annot.

RESOL. LXXXVII.

Sup. prima diffie. huius tituli in Ref. seq. §. Secunda, & magis late in tom. 3. tract. ex Ref. 6. §. Sed quid.

Utrum liceat baptizare infantes filios Infidelium, invitatis parentibus, etiam si parentes infideles subditi sint Principibus Christianis: imo si fuerint Christianorum servi?

Et an, domini teneantur hoc facere? Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 45.

§. 1. **P**rima sententia est D. Thom. qui asserit in 3. p. q. 68. art. 10. & 2. 2. q. 10. art. 10. id non

licere, etiam si parentes infideles sint subditi Principibus Christianis, * imò etiam si fuerint Christianorum servi: nam parentes jure naturali habent custodiam, & curam suorum filiorum, antequam ad usum rationis perveniant. Ergo nulla autoritate humana, sive Principum, & Dominorum, possunt hoc jure licitè privari; privarentur autem, si ipsis invitatis eorum filij baptizarentur, &c. Hanc sententiam amplectuntur omnes discipuli Divi Thom. Caietanus, Sotus, Capreolus, Paludanus, Victoria & alij.

2. Secunda sententia est Suarez in 3. part. tom. 3. disp. 25. sect. 4. Petri de Cabrera de Sacram. q. 68. art. 10. disp. unic. conc. 4. §. 7. Nugni tom. 1. in 3. p. q. 69. art. 20. diffie. 2. concl. 3. Qui asserunt, parvulos infidelium, qui sunt mancipia Christianorum, posse à dominis suis vendi, seu donari; & postquam hac via fuerint à parentibus subtrahiti, licitè baptizari possunt, etiam parentibus inconsultis, & reluctantibus; etiam si ipsi domini hac intentione, & sine venderent, seu donarent tales parvulos, ut à parentum cura subtrahiti baptizentur. Prior pars conclusionis est certa; nam qui est dominus alicujus rei, potest illam pro libito donare, & vendere. Secunda pars conclusionis probatur, quia illi parvuli tunc non sunt sub cura parentum, sed sub cura illorum, quibus venditi, vel donati sunt; ergo parentibus inconsultis, ex consensu eorum, qui illorum curam gerunt, poterunt baptizari.

3. Tertia est sententia Vasquez in 3. p. tom. 3. disp. 155. c. 4. num. 50. Luisij Turriani in 2. 2. tom. 1. disp. 54. dub. 2. Greg. Ruiz in suis controuv. Theol. controuv. 19. ubi ait: Non modo filios servorum infidelium vendi, & separari posse à parentibus ut baptizentur, & ita separatos baptizari rectè posse, si diligentia adhibeatur, ne à parentibus aliquo modo possint conveniri, & subverti. Verum etiam antequam separentur, & vendantur, sub cura parentum existentes, sine peccato baptizari posse, si res ipsa ex se consideretur. Et ad incommoda, quæ ex ista sententia sequi videntur, respondet n. 55. & 57. Nam ante adultam ætatem à parentibus separari possunt, & sic nullam memoriam habebunt, paterne infidelitatis, & ceremoniarum, quibus contra Religionem nostram parentes uti consueverant. Alterum incommodum, quoad scandalum patris, quia ipse videns filium baptizatum contra voluntatem suam, Judaicis, aut Mahumetanis ceremoniis, circa filium utetur in Baptismi opprobrium, & Religionis nostræ, ipsum circumcidendo, nihil obstat potest, quoniam necessaria non sunt omittenda propter scandalum, hujusmodi autem est Baptismus, quem tanquam necessarium, dictis infantibus tribuimus: Hæc Vasquez, qui in capite 7. cum Turriano ubi supra, probat dominos præcepto charitatis teneri tales parvulos sub cura parentum existentes baptizare.

4. Ad argumentum primæ sententiæ respondetur, ipsos parentes fieri indignos tali jure naturali, ratione abusus, idèo nulli irrogatur injuria, dum à dominis destituuntur suo jure in justè possessio. Unde Vasquez ubi supra, probat, parentes infideles non habere jus, ut ipsi solum curam gerant salutis spiritualis filiorum, nec permitant ullum alium in filio emendare id, in quo ipsi errant. Neque enim jus paternum naturale id concedere potest, neque divinum id concessisse constat.

5. Omnes istæ tres sententiæ sunt probabiles, sed ultimam Vasquez libenter amplector, propter favorem animarum ditorum infantium: De tota hac questione vide Lorcam in 2. 2. Reginaldum tom. 2.

* Sup. hoc cursum in fine Ref. præterita, & in Ref. seq. tr. 1. ex Ref. 6. §. Sed magis, & seq.

Sup. hoc magis late infra in Ref. 90. à lin. 3. in Ref. 91.